



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. An, & quomodo necessaria sit distinctio agentis & passi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

distinguitur ab accretione, & latone, quarum illa terminatur ad quantitatem, hæc ad locum. Dicitur motus ad qualitatem *sensibilem*, quia non hic agitur de productione habituum, actuum vitalium, & specierum. Denique motus est ad qualitatem sensibilem *mediam vel extremam* (ad primas videlicet qualitates, vel ad eas quæ ex iis oriuntur) ut excludantur alterationes, quas dixi perfectiua, eo quod tendant ad qualitates non habentes contrarium. Non est igitur mirum quod dicat Philosophus, manere in alteratione idem subiectum sensibile, idem videlicet compositum substantiale, quod est subiectum denominationis accidentium.

Termini alterationis.

Dico secundò, nullam esse alterationem, quæ non habeat duos terminos positivos; vnum, qui deseritur & destruitur; alterum, qui acquiritur, & producitur.

Ratio est, quia omnis alteratio (ut dixi) est ad qualitates primas, aut ortas ex primis; sed ex qualitates nunquam adveniunt subiecto, quin excludant contrarias: ergo alteratio habet semper terminum à quo, & terminum ad quem positivos.

Eius comparatio cum aliis motibus.

Dico tertio, alterationem quidem in ratione productionis nobiliorem esse alio quolibet motu; sed in ratione tamen motus, nobiliorem alteratione esse motum localem.

Ratio est, quia qualitas quæ producitur alteratione, nobilior est quantitate ac vicatione, quæ sunt termini accretionis ac lationis; sed in ratione tamen motus, latior reliquis præstat, quæ sola etiam propriè motus dicitur, quia in motu locali tota res transfertur de loco in locum, idè est magis propriè transitus, quàm alteratio, aut accretio, in quibus non transit propriè ipsum subiectum, sed ipsi termini sibi mutuo succedunt in eodem subiecto, sicut quando circa illud variæ superficies mutantur.

Mutatio coloris in polypo.

Dubitari hoc loco potest, qualis sit mutatio illa, quæ in aliquibus fieri dicitur animantibus; polypus enim & camæleon pro varietate corporum quibus insident, colorem mutant, ut tradunt Aristoteles *lib. 9. historia animalium*, Plinius *lib. 9. c. 29.*

Et in aliis.

Oppianus, & alij. Polypus scilicet cuicunque petreæ se affixerit, colorem eius in se recipit, adè ut pisces falsa ea imagine delusos, & ultro præconi se offerentes deuoret, ut testantur sancti Basilus & Ambrosius. Idem de camæleonte proditur, reddere illum colores omnes rerum quibus infederit, præter album (ut ait Nazianzenus *orat. 1. contra Iulianum*.) Tarando quoque tribuunt vim eandem Plutarchus, Plinius, Solinus.

Eorum ratio.

Resp. varias afferri causas à Doctoribus experimenti huius, quod certissimum esse dicitur, apud Aldrouandum *lib. 1. de auibus, c. 3.* Aresium *lib. 1. de generat. q. 28. sect. 4.* Mihi sanè videtur probabilis esse causa, cur mutatio huiusmodi colorum fiat in animalibus. Primò quòd huiusmodi animalium corpora non idè eos reddant colores, quòd ipsis imbuta sint, sed hoc habeant, quòd rara sint, & transmeabilia; vnde fiat ut per illa subiacentium rerum colores videantur; quos tamen in ipsis animalibus residere. Iudicat oculus, sicut vitrum, quod rebus coloratis impositum, pingi videtur coloribus qui per ipsum translucent; cuius rei argumentum est, quòd hæc animalia non nisi subiectos referant colores: hoc tamen difficile videtur, quia corpora horum animalium non sunt diaphana. Vnde affert rationem alteram Aresius citato loco: *Forè, inquit, dici posset, polypum & camæleontem eius naturæ coloribus esse præditos, quos videmus in collo columba; illi enim conspecti ex vario*

suu, plures nobis, & diuersissimos exhibent colores; sic is coloribus animalia ista imbuta sint, qui ex corporum propinquorum diuersitate, diuersas species ingerant, concurrente simul quodam lauore, seu perspicuitate lumen reflectente. Quod est dicere, corpora ista esse veluti specula, & eos colores esse solum apparentes, non autem veros.

SECTIO II.

An, & quomodo necessaria sit distinctio agentis & passi.

Quoniam agens aliud est vniuocum, quod producit effectum sibi similem formaliter, aliud æquiuocum, quod producit effectum formaliter dissimilem; de utroque agente distinctè quæritur, vtrum ad omnem actionem necessariò requiratur distinctio agentis & passi; an verò possit aliquid agere in se ipsum.

Dico primò, posse agens æquiuocum agere in se ipsum actione perfectiua, qua producit aliquid perfectius ipsum passum; non posse agere in se ipsum actione corruptiua, qua producit aliquid corruptius id in quo recipitur.

Ratio est, quia graui & leui quoties ad propria mouentur loca, mouentur per insitam qualitatem, ut probatum est: omnes formæ per emanationem producunt in se ipsis debitas proprietates; aqua enim reducit se ipsam ad pristinum frigus. Res omnes viuentes hoc habent quod se ipsas moueant; proprius enim vitæ character, & discrimen viuendum à non viuentibus est moueri ab intrinseco, post acquisitam connaturalem perfectionem. Anima sentiens & rationalis producit in proprio subiecto cognitiones & appetitiones; illæ omnes sunt actiones perfectiue, & procedunt à causa æquiuoca: ergo causa æquiuoca potest agere in se ipsam actione perfectiua. Non potest autem agere actione corruptiua, quæ violenta est passio, & producit aliquid violentum: quod autem est violentum, ab extrinseco producitur, nihil conferente passio.

Dico secundò, agens vniuocum non posse vniuocum agere in se ipsum.

Ratio manifesta est, quia implicat ut aliquid habeat actum & formaliter aliquam formam, & ut illa careat formaliter: agens vniuocum illud dicitur quod habet actum formaliter formam, quam producit; quod verò patitur, debet formaliter illa carere: ergo certum est, quod agens vniuocum non potest agere in se ipsum. Imò si posset agere, nulla esset qualitas remissa quæ non posset se ipsam intendere usque ad summum gradum.

Obiicitur primò contra priorem assertionem. Implicat ut aliquid simul sit actum & potentia ad eundem effectum; si autem agens æquiuocum agat in se ipsum, erit actum quatenus in se producit; & erit potentia, quatenus potest illud habere ac producere: ergo implicat ut aliquid in se ipso agat. Deinde si agens æquiuocum potest in seipso agere, poterunt piper & vinum calefacere seipsa, sicut calefacere possunt stomachum. Imò repugnat apertè Philosophus, cuius celebre axioma est, *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*: vnde negat etiam quod animal moueat se ipsum; vult enim quod pars immota in animali principium est motus in parte mota.

Resp. distinguendo primam maiorem; implicat ut aliquid sit in actu formali & potentia formali, concedo; ut sit in actu formali, & potentia virtuali,

Quæst. I. Sect. II. de Condit. alterationis. 323

tuali, nego: quod autem agit in seipsum, est in actu formali & potentia virtuali; non enim habet actum, & caret actu; sed habet virtutem operandi, & actu operatur, quod cuilibet agenti conuenit. Piper & vinum, tametsi calorem habent virtualem in seipsis, quo stomachum calefaciunt, non calefaciunt tamen se ipsa, imò nec manum calefaciunt si ea tractes; quia calor ille virtualis vim suam non exierit nisi adiutus & excitatus à calore stomachi, cum quo talem habet sympathiam, ut sine illo non possit agere. Neque repugnat Philosophus cum ait, omne quod mouetur ab alio moueri; significat enim tantum, quod omnia mobilia causam immobilem habent, à qua esse acceperint; non loquitur autem de motibus aliis, qui sine dubio sunt interdum à principio immanenter operante. Verum autem est, quod totum animal non potest vniquam ita moueri, quin vna eius pars moueatur, & altera quiescat, etiam si vna & eadem pars esse possit motus, & mota.

Obiicitur secundò. Compositum naturale agit sæpe in seipsum actione corruptiua; vna enim pars corporis aliam alterat, ut patet in viuientibus, quæ sic ab intrinseco sunt corruptibilia. Denique calx in aquam iniecta se ipsam calefacit, & destruit.

Resp. non esse opus ut agens & passum distinguatur supposito, etiam quando agunt actione corruptiua; vnde potest aliquid agens per vnam sui partem agere in aliam, & illam corrumpere. Ad id quod additur de calce, dici primò potest, illam ita porosam esse, ut multi spiritus calidissimi intra ipsam resideant. Dum igitur frigidum aqueum poros subit, coguntur huiusmodi partes, & veluti vniuntur; ideoque agunt vehementius: quod ex eo etiam constat, quia calx vetusta, vel non calefit, vel non ita feruet aqua iniecta, eo quod igneæ particule plures exhalarint. Deinde dici etiam potest probabilius, calcem non calefieri à se ipsa, sed ab humido aqueo, quod postquam calefactum est per calorem virtualem ipsius calcis, ipsam deinde calcem calefacit. *Intuemur & miraculum calcis, inquit Augustinus lib. 21. ciuit. c. 4.*

Obiicitur tertio. Per nutritionem & accretionem viuens producit simile in se ipso, & vniuocè agit; nutritio enim partialis est generatio: ergo agens vniuocum agit in se ipsum. Idem probatur etiam in fœno, quod si humidum incluseris, inflammatur; quod idem asserit Galenus de fimo columbino. Hæc autem actio est ab intrinseco, non ab extrinseco. Denique in antiperistasi agens intendit seipsum.

Respondeo viuens in mutatione non agere in seipsum actione vniuoca, sed agere in ipsum alimentum, in cuius materiam suam inducit formam, & eam sibi aggenerat. Fœnum viride, & fimo columbinus plures continent exhalationes calidas, quæ si prohibeantur transpirare, mutuo atteruntur, & agitantur, dum exitum quarunt, & tandem ignescunt. De antiperistasi dicitur *quæst. 2.*

SECTIO III.

An, & quomodo ad actionem necessaria sit dissimilitudo agentis & passi.

Certum est primò multipliciter posse aliquid esse alteri simile accidentaliter, nam de substantiali similitudine hic non queritur; cum certum sit, posse aquam calefieri ab aqua calida. Primò ergo potest aliquid esse simile alteri ratio-

ne naturæ qualitarum; nam v. g. calidum ut vnum, & calidum ut octo similes habent qualitates. Deinde potest aliquid esse simile alteri ratione extensionis; sic enim calidum palmare simile est calido palmari, dissimile bipalmari. Tertio ratione intensiōis, sicut calidum ut quatuor est simile calido ut quatuor, dissimile calido ut octo.

Certum est secundò, quod ad actionem non requiritur prima vel secunda dissimilitudo inter agens & passum; ignis enim calefacit ætem iam calidum, & ferrum candens palmare incendit lignum palmare. Tota ergo difficultas est de dissimilitudine quoad intensiōem qualitaris, vtrum videlicet agens calidum ut quatuor possit producere aliquid caloris in subiecto calido ut quatuor, & intendere illius calorem; vtrum videlicet simile, vel minus intensum possit intendere sibi simile, & magis intensum.

Dico primò, nullum agens vniuocum posse agere in simile intendendo illius qualitatem. Ita censent omnes communius cum Philosopho. Repugnant ex parte Toletus & Aresius; ille pro qualitate quæ reperitur in materia densa; iste pro qualitate, quæ augetur per gradus homogeneos.

Ratio primò à posteriori est experientia: sit enim aqua æqualiter calida; certe illius partes non intendunt se inuicem, alioqui duo calida, vel duo lucida ut vnum intenderent se vsque ad octauum gradum. Deinde à priori ratio est, quia nullum agens potest producere formam, quam non continet: sed si posset aliquid simile in gradu qualitaris intendere sibi simile, v. g. si calidum ut quatuor intenderet calidum ut quatuor, produceret aliquid quod non continet, quia produceret quintum gradum, quem non continet: ergo simile non agit in simile. Altera etiam ratio affertur, quia cessante fine agentis, cessat actio: sed quoties passum est omnino simile agenti vniuoco, cessat finis agentis; nam agens vniuocum non aliud intendit nisi assimilare sibi passum, cum hoc sit esse agens vniuocum: ergo quoties passum erit simile agenti, agens non poterit agere.

Dixi semper agens vniuocum non posse agere in simile; nam de agente æquiuoco aliter debet statui, quia illud non intendit assimilare sibi passum, & continet effectum producendum in subiecto simili; ideo agens æquiuocum potest agere in simile; potest v. g. calx vna calefacere aliam.

Video tamen multa in contrarium posse opponi, & difficillima. Primò de qualitate in materia densa: secundò de multitudine agentium: tertio alia miscellanea.

§. I.

Prima difficultas de qualitate in materia densa.

Sæpe contingit ut duo subiecta sint similia in qualitatibus actiuis, sed dissimilia in densitate: v. g. stупpa sex habens gradus caloris, similis est in qualitate actiua ferro calido ut sex; sed est dissimilis in densitate. Docet autem experientia quod qualitas in materia densa plus agit, quam in materia rara. Ex quo contra propositam assertionem grauis oritur difficultas; nam agens simile, vel etiam minus intensum, potest agere in aliquid seipso

Status quæstionis.

Conclusio negatiua.

Ratio à posteriori.

A priori.

Proponitur difficultas.

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

Multiplex similitudo.